



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quot sint modi relationum rationis, & quid omnibus commune sit, quid
verò proprium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

tis apprehenditur, quamvis comparata ad Angelum ob eius incapacitatem retineat solam rationem negationis, comparata ad hominem denominetur privatio. Et ideo sub ratione maius etiam differant, quia illa carentia homini est maius, non Angelo: & similiter potest denominari violentia homini, Angelo vero contraria. Hoc autem intelligendum est de carentia illa secundum se considerata, nam si de illa loquamur veluti in sensu composito, ut denominata a privatio, aut pura negatio, si includit diversos respectus rationi ad diversa subiecta, qui sunt essentialiter formis denominatis ut sunt sub talibus denominationibus.

XXVII.

Denique (ut supra dicebam) hic loquimur de negatione prout concipitur per modum incomplexæ formæ, nam si de complexis negationibus sit sermo, sic potest intelligi diversitas essentiae inter carentiam respectu diversorum subiectorum, ad quæ ut negatio vel privatio comparantur. Hæc enim negatio Angelus non habet visum, ut hæc affirmatio Angelus est non videns longe diversa sunt ab his, homo est cæcus, aut cæcus visus, nam illæ sunt necessariae proportionales, hæc vero contingentes: unde essentialem diversitatem habent. Neque id mirum est, quia respectu complexionis ipsa extrema intrinsece comparantur tanquam illam componentia, & ideo variato altero extremo variatur compositio & habitudo complexionis, secus vero est in ipsa simplici forma secundum se spectata, illa enim intrinsece non includit hoc vel illud subiectum, sed habitudinem ad subiectum quasi adæquatum.

SECTIO VI.

Quid ad relationem rationis necessarium sit, & quos modis fingi aut excogitari possit.

I.
Descriptio
relationis
rationis.

Quia relatio rationis ab absolutis omnibus distinguatur per communem, vel quasi communem rationem relationis, à relationibus autem realibus, ex eo quod vera & realis relatio non est, in genere definiri potest per negationem realis respectus, ita ut relatio rationis sit omnis relatio quæ realis non est. Quia vero illa negatio non potest intelligi coniuncta cum eo quod relatio dicit per modum positivi, nisi media fictione aut cogitatione intellectus, ideo relatio rationis in communi positive definiri potest, esse relationem quæ intellectus fingit per modum formæ ordinatæ ad illud, seu referentis unum ad aliud, quod in re ipsa ordinatum aut relatam non est.

Quæ sint ad relationem rationis necessaria.

II.

Quocirca cum relatio rationis deficiat à veritate relationis realis & sit quædam umbra illius, duo videntur ad illam requiri: unum est, ut in ea non concurrant omnia, quæ solent esse necessaria ad relationem realem, qualia sunt subiectum capax, fundamentum reale cum debita ratione fundandi, & realis terminus actu existens cum sufficienti fundamento reali seu ex natura rei, de quibus superius latè dictum est. Hæc ergo omnia simul sumpta non possunt communia esse ad relationem rationis aliqui in nullo posset distinguere talis relatio, à relatione reali. Aliud est, ut aliquid eorum, quæ ad relationem realem concurrunt, fundet aliquo modo saltem remote relationem rationis, vel potius cogitationem & modum concipiendi quo relatio rationis constringitur, supplente ipso intellectu id quod in re deest ad verum respectum. Dico autem necessarium esse aliquid in rebus quod saltem remote fundet, vel occasionem præbeat huic relationi, quia ut sape dixi, agimus de entibus rationis, quæ aliquo modo conse-

runt ad cognitionem entium realium, quæ semper habent in re aliquod fundamentum. Si autem velimus omnes omnino relationes rationis comprehendere, addere possumus relationem rationis esse cui deest, aliqua conditio necessaria ad relationem realem, vel cui desunt omnes, ab intellectu autem fingitur vel cogitur aliquid illis proportionale.

Prima divisio relationis rationis.

Hæc ergo dici potest prima divisio relationis rationis in eam quæ omnino est conficta per intellectum absque ullo fundamento ex parte rei, & in eam quæ in re habet aliquod fundamentum, licet non sufficiens: nomine autem fundamenti nuncintelligo omnes condiciones ad relationem realem necessarias. In priori membro continentur omnes relationes rationis quæ inter alia entia rationis cogitantur, præsertim si talia entia rationis sint mere conficta, ut est relatio similitudinis inter duas Chymæras, vel dissimilitudinis inter Chymeram & Hircocerum, & similes. Huc etiam pertinere possunt relationes rationis inter duas privationes, quo modo unus locus tenebrosus dicitur similis alteri, & in spatio imaginario concipitur relatio distantie, & in successione imaginaria relatio prioris & posterioris. Quamquam hæc relationes fundantur in privationibus vel negationibus rerum aliquod maius in rebus ipsis habeant fundamentum saltem remotum. Tercio possunt ad hoc membrum reduci relationes rationis inter entia realia possibilis, non tamen existentia, ut est relatio antecessoris Adami ad Antichristum, & similes, quæ maius habent in rebus fundamentum, quia extrema earum non sunt omnino entia rationis, quævis ut apprehenduntur ut extrema vel subiecta relationum sint entia rationis. Unde in his tribus ordinibus relationum quos sub illo primo membro numeramus, continentur quædam subdivisio illius membri, & sub illis ordinibus excogitari facile possunt fere omnes modi relationum realem per quandam analogiam vel proportionem.

Secunda divisio relationum.

At vero relationis rationes quæ in rebus existentibus habent aliquod fundamentum, subdistingui viterius possunt ex diversitate fundamentorum, vel è contrario ex varietate defectuum earum conditionum quæ ad relationem realem requiruntur. Unde sub hoc membro primo constitui possunt relationes illæ, quæ tribuuntur rei existentis respectu termini non existentis, siue illud sit ens possibile, siue fictum, ut relatio prioritatis Petri existentis ad Antichristum futurum, vel diversitatis Petri existentis à Chymæra. Et pari ratione ad hunc ordinem spectat relatio rationis correspondens in alio extremo non entis ad ens, seu entis rationis ad ens reale, in his enim deest conditio necessaria ad relationem realem ex parte termini: scilicet, ut sit realis, & realiter existens. Et in hoc ipso ordine subdistingui poterunt cum proportionem tres illi modi relationum, qui fundantur vel in unitate, vel in actione, vel in ratione mensuræ: omnes enim illæ sunt relationes rationis, quando alterum extremum non est reale & existens.

Secundo constituantur sub illo membro relationes, quæ concipiuntur inter extrema, quæ sunt reale quid, tamè in re non habeant distinctionem realem, vel actualem ex natura rei, sed rationis tantum, nam hic est defectus alterius conditionis requisitæ ad relationem realem. Et iuxta diversam distinctionem rationis inter extrema huius relationis erit etiam diversitas inter huiusmodi relationes. Interdum enim est tantum distinctio rationis ratiocinantis, ut est in rela-

relatione identitatis eiusdem ad se ipsum: aliquando vero est distinctio rationis ratiocinata, quæ in re est fundamētalis seu virtualis, vt est relatio distinctio- nis inter attributa diuina, & sic de aliis. In huiusmo- di autem relationibus cum prædicto defectu distin- ctionis, in re ipsa supponitur aliquod fundamētum vnitatis vel distinctio- nis in effectibus, aut actibus, vel in aliqua re simili, ex qua intellectus sumat occa- sionem excogitandi similes relationes, vt ex addu- ctis exemplis facile constat. Vnde ad hoc etiam ge- nus relationis rationis reduci possunt illæ, quæ licet versentur inter res distinctas, non tamen cum suffi- cienti distinctio- ne fundamētum, quia nimirum est v- num & idem in vtroque extremo, vt est relatio simi- litudinis vel æqualitatis inter diuinas personas, de quo supra dictum est.

VI.

Tertio constituuntur in hoc ordine illæ relationes rationis, quæ licet versentur inter res distinctas, & alioquin capaces relationum realium prædicamenta- lium, ex defectu tamen intrinseci fundamētum sunt rationis, vel in vtroque, vel in altero extremo, quæ possunt esse duo membra huiusmet generis. Vnde ad hoc genus spectant in primis relationes omnes quæ in vtroque extremo fundantur tantum in denomina- tione extrinseca, vt est relatio signi ad placitum, quæ tam in signo, quàm in signato est relatio rationis, siue tale signum sit vox, vt nomen, aut verbum, siue sit res vt sacramentum. Cum enim hæc impositio ad si- gnificandum, nihil rei ponat in signo nisi denomina- tionem extrinsecam, neque etiam in signato, non po- test fundare relationem realem, vt omnes docent. Deinde, eiusdem sunt modi relationes domini & ser- ui inter homines, nam illæ non fundantur nisi in qua- dam extrinseca denominatione sumpta à voluta e: & similes sunt aliæ multæ, vt omnes illæ quæ oriun- tur ex contractibus & voluntatibus humanis, vt in- ter maritum & uxorem in ratione coniugum, inter ementem & vendentem ex voluntate contrahendi, & sic de aliis.

VII.

Rursus ad aliud membrum huius generis perti- nent omnes relationes non mutue, quatenus in vno extremo rationis sunt, vt sunt relatio visæ ad viden- tem, aut visibilis ad visum, aut scibilis ad scientiam, &c. de quibus satis dictum est in Disputat. 47. Et huc etiam reuocari possunt omnes relationes Dei ad crea- turas existentes, nam etiam illæ possunt dici fundari in denominatione extrinseca, quia in ipso Deo secun- dum se non est capacitas, atque adeo nec fundamen- tum ad tales relationes.

VIII.

Quarto & vltimo possumus aliud membrum cō- stituere earum relationum, in quibus multi ex præ- dictis defectibus ex necessitate ad relationem realem cōcurrunt, cum aliquo fundamēto remoto ex parte rei, & proximo in aliqua denominatione extrinseca, & huiusmodi videntur esse relationes rationis quæ intentiones Logicales appellantur, vt sunt relatio- nes generis, speciei, prædicati, subiecti, & similes. Quæ quidem relationes interdum tribuuntur voci- bus, quoniam prædicationes & definitiones mediis, vocibus sunt; interdum autem rebus, quia illæ sunt quæ obiectiue cognoscuntur, subiiciuntur, & præ- dicantur: & hæc proprie vocantur intentiones Logi- cales, nam priores vel potius pertinent ad Gramma- ticam, vel Rethoricam, vel secundario tribuuntur vo- cibus vt instrumentis, quibus conceptus manifesta- mus & de rebus loquimur. In his ergo relationib. li- cet interdum extrema sint realia, sæpe tamen deficit distinctio sufficiens, vt inter animal & rationale qua- renus comparantur vt genus & differentia interdum etiam non est sufficiens vnitas & existentia in altero extremo vt sic relatio, vnde in re vniuersali vt sic re-

spectu singularium, nam quatenus vniuersalis est, ne- que existit, neque habet in re talem vnitatem, Deni- que nunquam est in ipsis rebus sufficiens fundamen- tum relationis huiusmodi, quia proxime fundantur in aliqua denominatione extrinseca proveniente ab actu intellectus.

De secundis intentionibus.

IX.

Vnde iuxta triplicem operationem intellectus triplex etiam est ordo talium relationum, nam ex prima operatione consurgunt relationes generis speciei, definitionis, definiti, &c. ex secunda operatio- ne relatio prædicati subiecti copulæ, propositionis: ex tertia relatio antecedentis, consequentis, mediis, extremitatis, &c. Hæc namque relationes non conue- niunt rebus secundum se, sed vt denominantis ab al- liqua operatione intellectus: & ideo semper rationis sunt & non reales, etiam si contingat interdum ver- sari inter res existentes & distinctas. Non tamen sunt hæc relationes gratis confictæ, sed sumpto aliquo fundamēto ex re, qualis est aut realis conuenientia in qua fundatur abstractio vniuersalis, quæ etiā va- riatur in genus, speciem, &c. ex eo quod conuenien- tia maior est vel minor, vel realis identitas aut vnio vnus cum alio in qua fundatur affirmatio vnus de alio, vel realis emanatio vnus ab alio, aut concomi- tantia, vel aliquid simile, in qua fundatur illatio à pri- ori vel à posteriori.

Triplex intellectus operationis triplex se- quitur ratio- nis.

X.

Atque hanc causam solent hæc vltimæ relatio- nes rationis peculiariter appellari secundæ intentio- nes, quasi resultantes ex secunda intentione seu at- tentione vel consideratione intellectus, quo nomi- ne proprie vocatur intellectus reflexiuus, quia suppo- nit aliam circa quam versatur. Quanquam vero om- nia entra rationis, vt supra diximus, dici possint ali- quo modo fundari in operatione intellectus, ex qua consurgunt, quæ operatio semper supponit alium conceptum entis realis, ad cuius instar, vel cuius occa- sione entis rationis concipitur: proprie tamen illa ope- ratio est reflexa, & (vt ita dicam) est per se secunda, quæ cadit in aliam cognitionem, vel in obiectum pro- ut denominatum à priori cognitione, & inde parti- cipans aliquas proprietates. Quia ergo illæ relationes Logicales semper fundantur in huiusmodi cognitio- ne reflexa, ideo peculiariter dicuntur secundæ inte- tionibus, seu secundæ notionibus obiectiue, quia secun- dæ notioni, seu intentioni formali obiciuntur. Vnde et per Antonomasiā solent hæc relationes ratio- nis vocari res secundæ intentionis, non quia omnis res cognita per intellectum reflexam sit ens ratio- nis: constat enim ipsam intellectum realem posse reflexe cognosci, sed quia suum esse habet tantum obiectiue in secunda, seu reflexiua cognitione intel- lectus.

Relationes generis, spe- cie, & simi- les cum no- men secun- dæ intentio- nis vltimæ.

XI.

Hinc vero vltius nascitur, vt possit intellectus supra ipsasmet secundas intentiones iterum reflecti, & conuenientias, vel differentias, inter ipsas confide- rare, & eas definire, vel ex eis discurrere, atque ita in- eis similes relationes fundare, vt ex genere & specie abstrahit relationem vniuersalis, illud denominat genus, & sic de aliis, & tunc iam illæ relationes non tantum sunt rationis ob alios defectus, sed quia non versantur proxime inter res reales, vel existentes, & ideo cum dicuntur hæc relationes fundari aliquo mo- do in rebus, intelligendum est de primis relationi- bus huius ordinis. Plura vero de his relationibus di- cere ad particulares scientias spectat, quia hæc relatio- nes in infinitum sere multiplicari possunt per fictio- nes vel reflexiones intellectus, ideoq; tam de illis q̃ de rota hac doctrina hæc dixisse sufficiat, quæ in Dei gloriosi laudem cedant.